



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Die 6. S. Brunno

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

sione, & accuratâ mentis recollectione  
veneremur, pro beneficio vocationis  
addituri psalmum: *Benedic anima mea  
Domino.* Beati mundo corde, quoni-  
am Deum, & sanctos videbunt.

Festum S. Brunonis Fundato-  
ris Carthusianorum Fœcundissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Chare! si & nos nosceremus,  
quanta suavitas in vica solitaria,  
profectò desertis urbibus, mundi abje-  
ctis omnibus pompis & deliciis convo-  
larem ad eam! In hac mundus saluti  
nostræ infensissimus profligatur. In  
hac nihil ad peccatum; Ad virtutem, &  
sanctimoniam verò pelliciunt omnia.  
O si vel hodie S. Bruno nos in sui, & suo-  
rum traheret exemplum, & sequelam!  
Jucundius nihil in orbem terrarum, quàm  
solum cum solo colloqui Christo!

*Instructio meritoria.*

Ne fiat, fortè retrahit corpus? Aut  
mundi amor? Sed dirumpamus hæc  
vincula, & ut solidè, in honorem S. P.  
Brunonis abstineamus ab una, vel occa-  
sione

stone alterâ, ubi mens, & animus posset  
dissolvi periculosius. Hujus autem lo-  
co visitemus Deum in templo Evchari-  
sticum, qui dulciora ad cor loquetur,  
quàm vanus homo. Fiat! Fiat! O fili!  
Ne cor dividatur inter Jesum & mun-  
dum. Solitarii oremus hymnum ex fe-  
sto dedicationis Ecclesiæ: *Urbs Jeru-  
salem beata, dicta pacis visio &c.*

## II.

**S** Brunoni non sufficiebat, solitariâ  
vita profligasse mundum. Perpetuô  
insuper ciliciô carnem aggreditur petu-  
lantissimam. O Bone fili! Ne tantum  
nos amemus, ut credamus, pœniten-  
tiam solis convenire sanctis. Nos indi-  
gemus maxime, quia adhuc delicati, &  
molles. Odium erga inimicos prohi-  
bit Deus; erga corpus & carnem, man-  
dat & imperat. Qui odit animam suam  
in hoc mundo, in vitam æternam custo-  
dit eam.

*Instrucção meritoria.*

O quàm multa, & magna sunt pecca-  
ta nostra! Quàm modica verò pro his  
satisfactio, & pœnitentia! Mulcemus  
cor-

corpora tot malorum instrumenta. Si cilicia, si flagella, si jejunia, aut vigilia nobis non placent; id saltem amore salutaris agamus poenitentiae, ut hodie in omnibus adversis, & naturae contrariis nos Divinae voluntati conformemus cum dicto: *Domine! digna factis recipio. Tibi honor & gloria.* Amor mortificationis ut regnet in membris nostris, flectentes coram Crucifixo oremus officium de *quinque SS. Vulneribus*. Dabitur! Ecce! jam aperta sunt in hominis obsequia.

## III.

**S** Bruno nec diabolo cessit, imò solis stravit precibus. His quis locus opportunior solitudine. Huc fugiamus, ut inferorum evadamus laqueos. Vidimus satis contradictionem, scandala, aliisque centena peccandi pericula in Babylon, corrupto saeculo. O si nos tandem cum Davide resolveremus dicendo: *Ecce! elongavi fugiens, & mansi in solitudine.*

*Instructio meritoria.*

Sed de loco quaerimus? Ubique nobiscum

biscum est. Ambulemus in devota re-  
collectione mentis, & praesentia Dei : Et  
erimus in solitudine cum Deo. Cavea-  
mus, ne nos negotiis immisceamus alie-  
nis, aut dispositionibus ad nos nihil per-  
tinentibus. Inde summa, & continua  
animi, & mentis turbatio. Pro incre-  
mento Ordinis florentissimi, & Ecclesiae  
saluberrimi unam offeramus SSS. Trini-  
tati Sacramentalem Communionem.  
Oremus pro filiis : Et orabit S. Bruno  
pro devotis clientibus.

Festum S. Francisci Borgiae In-  
clytae Societatis Jesu Generalis Hu-  
millimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**D**Ux hic Gandiae mortuum vidit Isa-  
bellae Imperatricis cadaver : Jam  
mundi deserit vanitatem, aulam con-  
temnit, & sanctiorem vitam decernit.  
Cur tam rara in nobis mortis recordatio,  
& memoria? Fili! & hoc ideò, quia ad  
Dominum nolumus converti feriò. In  
morte optabimus : sed non dabitur.  
Vae imparatis ! Justo Dei judicio accidit,  
ut,